Virgo des Scapulare.

viri neſcia, Carmelitis dat privilegia, ſtella maris Virgo apparuit mihi cum grandi comitatu, & tenendo habitum Ordinis dixit, Hoc erit tibi,& cunctis Carmelitis privilegium. In hoc moriens æternum non patietur incendium. De hac magna gratia, privilegio,& favore, innumeri ſunt Authores, qui illud celebrent, & ſcribant, quos refert Lezana Maria Patrona cap.5.num.10. de illo faciunt mentionem in ſuis diplomatibus (octo) vel novem Summi Pontifices, de quibus infra cum de Bulla Sabbathina fuerit ſermo.

300. *Excipitur cum feſtivitate.* Et ſicut Sanctiſſima Virgo cum magno comitatu Angelorum,tamquam valde feſtivè dans Sacrũ Scapulare B.Simoni,ſic ille cum magno applauſu feſtivo illud excepit cum omnibus Religioſis gratulantes tam eximium & magnum beneficium B. Virgini,& tunc compoſuit illam Antiphonã: *Ave ſtella matutina peccatorum medicina contra tela inimici clypeum pone*, quæ antiphona juxta noſtrum breviarium dicitur in Sabbatho ac in officio commemorationis,etſi antiquitus à tempore Honorii feſtivè celebrabatur, poſt verò acceptum Sacrum Scapulare pro tam ingenti beneficio multo majori applauſu, ac pompa recolitur.

301. *Solemnitas commemorationis valde grata Virgini.* Quæ ſolemnitas commemorationis Sanctiſſimæ Virginis inde oſtenditur,quod ſit ei maximè grata ex facto,quod contigit anno 1619.in noſtro Conventu de Burgos, cum à noſtris Religioſis ſolemniter, & devotè veſperæ ejuſdem ſolemnis commemorationis cantarentur,quædam perſona magnæ,& inſignis virtutis vidit ad latus majoris altaris adeſſe B.Virginem Mariam habitu Carmelitano indutam,& pallium album habentem multis ſparſis ſtellis apparebat,ad cujus latus dexterum aderat S Joſephus, ad ſiniſtrum S.Simon Stock tamquam feſtivitatis author,& tamquam ſua præſentia honorantes illam feſtivitatem. Ita refert Fr. Alfonſus à Matre Dei lib.de Sacro Sapulari. *Flores Carmeli.*

De hoc Sacro Scapulari tria ſunt agenda
I. Magnitudo doni
II. Illius prærogativa
III. Illius obligationes.

QUÆSTIO XXII.

Suprema Regina Carmeli in Sacro Scapulari nobis adminiſtrat Divinum cibum, cæleſtem veſtem,ac victricem trophæum de inimicis.

302. Cant 7. MAximè alta indagine notandum, quod cum dicitur Cantic.7. num.5. *Caput tuum, ut Carmelus* Subjungitur, *Statura tua aſſimilata eſt palma* merito Sanctiſſima Virgo Carmeli dicitur *aſſimilata palmæ*, nam inter cætera, palma, quatuor prærogativis illuſtriſſimè ſublimatur, *Prima* ſua altitudine, ut notat D.Hieronymus *in cap.* 31. Job,excedit,& extollitur ſuper omnes alias arbores plantas,& flores. *Secunda* dat fructum ſuaviſſimum,ac dulciſſimum,tanquam mellis.*tertia prærogativa* dat etiam indumẽtum;nam ex ejus foliis apud antiquos multæ veſtes componebantur. D. Paulus primus Eremita togam, quam in ſolemnibus diebus induebat,de foliis palmarum ſibi intexerat,ut teſtatur D.Hieronym.in ejus vita. *Quarta* palma datur inſignum victoriæ. Tum ob ejus ſublimitatem,tum quia multum durabilis, & vincit quodammodo corruptionem? Unde ait Job 29 n. 18.*Sicut palma multiplicabo dies.* Tum quia ejus folia ſunt tanquam radii,quibus denotatur victores radiare,ac reſplendeſcere ſuper ſuos inimicos

Palma quatuor prærogativis illuſtriſſima. D.Hier. D.Paulus Eremita D.Hier. Job.29.

Hinc Chriſtus D.cum ingrederetur Jeruſalem Pueri cum Ramis Palmarum, ac Olivarum obviarerunt ei Matth.21.n.8.Marc.11.n.9.triumphum applaudentes,quem Chriſtus D.ſuo ingreſſu de principe tenebrarum reportabat, ut notat D.Iſidorus de Divinis officiis, quæ omnia mirificè reſplendent in Sereniſſima Regina Carmeli. Mat.21. Marc.11. D Iſid.

Primo Pulchræ ſuprema Regina Carmeli dicitur, *aſſimilata palmæ*; quia ſicut palma ſua altitudine, ac ſublimitate, excedit omnes arbores,& plantas ſic nomen Reginæ Carmeli ſuperat omnes alias ejus invocationes & nomenclaturas,ut pacis, ſpei, victoriæ,ut dixi ſupra q.16.per totum. 303. *Nomen Reginæ Carmeli cæteris ſublimius.*

Secundo Regina Carmeli aſſimilatur palmæ, prout nos adminiſtrat,properat,ac diſponit ad cœleſtem cibum;Cum Parens Elias dormiret ſub Junipero,Ecce Angelus Domini tetigit eum,& dixit, Surge,& comede. Reſpexit,& ecce ad caput ſuum, ſubcinericius panis 3. Reg.19. n.6. qui panis datus eſt Eliæ in figura Divinæ Euchariſtiæ, ut eſt valde communis vox Patrum. Cur panis iſte potius adumbrat Sacram Euchariſtiam, quam ille, quem Angeli ſub ſpecie corvorum,ut vult Abuleſ. 3.Reg.c.17.q.15.miniſtrabant ei in Carith vel potius,quam alius panis,qui miraculoſè datus eſt ei in domo viduæ Sarephtanim.3.Reg.17 n.9.Si panis datus eſt ſub Junipero miniſtratus ab Angelo eſt typus Sacræ Euchariſtiæ,cur etiam tantum myſteriũ non adumbrat ille,qui apud Charith eſt oblatus,cum ejus miniſtri fuerint etiam Angeli,vel cur tantum honorem non obtinet panis à Divina potentia datus in domo viduæ?Cur tanto decore ſublimatur panis ſub Junipero oblatus?Ad Juniperũ venit Eliæ deſcendens de Monte-Carmelo, ubi in nubecula parva adoravit,vidit,magnoque cultu reveritus eſt Reginam Carmeli,& ex ejus apparitione,ac venerationis cultu ſe diſpoſuit, ac præparavit, ut particeps fieret tam altiſſimi myſterii in figura, & typo. 304. 1.Reg.19 Abulenſ. 3.Reg.17. *Ex adoratione Reginæ Carmeli præparatur Elias ad figuram Euchariſtiæ.*

Cum terra promiſſionis divideretur à Joſuë per ſingulas tribus,dicitur, *Cecidit ſors quinta filiorum Aſer per cognationes,fuitque ſors eorũ uſque ad Carmelum maris* Joſuë 19.n.24 & cur Carmelus venit potius in ſortem Aſer quam Rubem Simeonis Iſachar,& notanter dicitur, quod terminus ſortis Aſer,eſt uſque ad Carmelum maris,& non ad quã libet ejus partem,ſed uſque ad illam,quæ reſpicit mare *uſque ad Carmelum maris.* In illa parte Carmeli quæ reſpicit mare orans Elias, *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari* 3 Reg.18 in qua Elias Reginam Carmeli agnovit, & adoravit reverenter. *Aſer panis pinguis,& præbebit delicias Regibus* Geneſ.49. n.20.In quo pane pingui cœleſtes Euchariſtiæ deliciæ denotantur, ut docent communiter Patres Euchoricus,Paſchaſius,Angelonus,deliciæ autem Euchariſtiæ in nullo alio participantur,ac guſtantur niſi ubi Regina Carmeli apparet, ſub ejus nempe umbra, ac protectione tales deliciæ habentur, & comedentes Reges conſtituuntur, *Præbebit delicias Regibus.* 305. Gen. 49. Gen. 49. *Sub umbra Reginæ Carmeli delitescit Euchariſtia.* 3.Reg.18 Gen. 49. Euchor. Paſchaſ. Angel.

Tertio *aſſimilata eſt palmæ.*Regina Carmeli prout nobis hanc cœleſtem veſtem dat,quæ nos liberat,ac cuſtodit,inde optimè comparatur cum palma,nam ut ait Amalarius lib 1.cap. 20 *Cæleſtes radii, ac fulmina,dum magno impetu cadunt palmam non tangunt, nec lædunt*, ſic veſtis data à Regina Carmeli abſque ulla offenſa nos cuſtodit ab igne. 306. Amalar. *Ignis non tangit palmam.*

Vidit Moyſes illam viſionem grandem, quod *Rubus arderet,& non cõbureretur.*Exod.3.n.2.quomodo Rubus inter ardentiſſimas flammas non ardet ſed integer perſeverat,quomodo ab igne ne leviſſimum quidem patitur damnum?Unde ligno tantæ vires contra voraces flammas, quibus nihil ſublunare poteſt reſiſtere?Rubus adumbrabat ſanctiſſimam Virginem Mariam, quæ concipiens æternum Verbum lumen de lumine nec in corpore,nec in virginitate paſſa eſt aliquam minimam læſionem, Ab umbra Mariæ manavit virtus ad refrænandam ardentem ignis flammam. Ita Germanus Conſtantinopolit.orat. de adorat. Crucis, & ſic ait, *Non ſua virtute rubus inconſumptus, & illæſus ſua in igne perduravit,ſed propter Mariam, quæ in mortali, & ad corruptionem prona natura ignem Deitatis portavit* Joannes Damaſcenus orat. 2. de Aſſumptione ait, *Ardens Rubus illæſus manet per ſimulachrum quoddam, & umbram Mariæ.* Si per umbrã Mariæ à vorace igne cuſtoditur Rubus intactus,bene infertur,quod per cœleſte donum ſacris ejus manibus compoſitum, ac datum,à flammeſcente igne ejus adoptivi filii erunt liberi, ac immunes,maximè & præcipuè cùm ipſa Virgo in Sacro Scapulari adumbretur, quia, ut ait D Hieronymus ſerm.de Aſſumptione, *Beata Virgo eſt lana mundiſſima* Unde dicitur in Pſalm.71. n, 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus* Virgo eſt veluti lana mundiſſima, quæ in ſe recepit rorem, Divini Verbi,ad cujus umbram Sacrum Scapulare Carmelitanum ex pura lana compoſitũ ſuo nativo colore ſine aliqua mixtura cœleſti rore Virginis Mariæ fœcundatum tot, & tanta mirabilia operatur. 307. Exod.3. German Damaſc. *Umbra Virginis liberat ab igne.* D.Hier. Pſal.71.

308. Cum ex crudeli mãdato Nabuchodonoſoris tres illi ſancti pueri Sidrach,Miſach, Abdenago eſſent miſſi in medio fornacis ignis ardentis, *Angelus autem Domini deſcendit, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit.*Daniel.3.num. 50 Ignis non offendit nec eorum corpora,nec veſtimenta.nec calceamenta, ut notant D.Hieronymus, Carthuſ. Hugo, & alii, Majus tamen miraculum videretur ſi intactis corporibus eorum veſtimenta, & calceamenta eſſent conſumpta ab igne, cur ergo permanent illæſa? cur ab igne non devorantur? Ad majorem oſtentationem Divinæ Omnipotentiæ. D. Paſchaſ. in Thren. cap. 3.ait, *Ignis non tetigit corpora ſanctorum, nec eorum veſtimenta, quæ ſua erant* Si veſtimenta cum eſſent illorum ſanctorum, ita veneratur ignis, ut inter voracia flammarum incendia maneant intacta,& illæſa, quanto magis venerabitur ignis Sacrum Scapulare Virginis Mariæ indumentum, ab illa confectum, ejuſque manibus impertitum. Daniel.3. D.Hier. Carthuſ. Hugo D.Paſch. *Ignis veneratur veſtimenta ſanctorum.*

309. Cum ſuis militibus Joſuë ingrederetur civitatẽ Jericho, eamque totam incenderet, ac deſtrueret, at domus Rahab cum ſuis parentibus, fratribus, omnibuſque cognatis manet libera, & ſuperſtes à tanto incendio ex dato ſigno appenſo in feneſtra; nam ob beneficium præſtitum exploratoribus quos recepit in domo ſua promittunt illi domum ejus eſſe cuſtodiendam appoſito illo ſigno; *Si ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus coccineus, & ligaveris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos & patrem tuum, & matrem, fratreſque; omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam* Joſuë 2. num. 18. omnes iſti ſalvi erunt, Cur pro defenſione domus Rahab ab univerſo incendio,ac devaſtatione nullum aliud ſignum datur,niſi tantum funiculus, cur non potius ſanguis ſuper liminaribus, ut in domibus Hebreorum in Ægypto Exod 12.n. 21. vel cur pro ſigno non datur gladius,lancea, vel ſcutum appenſum? Rahab gerebat figuram,vel umbram Virginis Mariæ,ut ait D.Bernardus ſerm. 2. de Aſſumptione, *Felix mulier, quæ jam non exploratorem Jericho,ſed potius illum fortiſſimum exploratorẽ meruit ſuſcipere Jeſum Filium Dei.* Et idem clarius tenet Serarius in Joſuë q. 4. Rahab repræſentat umbram Virginis Mariæ, inde unum filum in domo ejus appenſum ſignum ſalutis eſt ab incendio, ac omni devaſtatione;quanto magis unum integrum veſtimentum atque Sacrum hoc Scapulare tutamen erit ab omni voraci flamma, ac incendio omnia devaſtante. Joſue 2. Exod.12 D.Bern. Serarius. *Signum veſtis Mariæ cuſtodit ab omni malo.*

310. Hinc rectè dicitur de Regina Carmeli, *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.*Olim dies indulgentiarum apud ſanctos Patres dicebantur dies palmarum, ut teſtatur Theatrum vitæ humanæ tom 1.verbo *Benedictio* fol.190.lit. E. dies Reginæ Carmeli dies ſunt omniũ indulgentiarũ nõ pro tempore determinato,ſed pro omni temporũ univerſitate,ut notat Heropolus lib.cap.3. *Quod palma in omni Lunæ ortu ſingulis menſibus ramum novum profert*, & inde Eccleſia de ſancto,ac juſto decantat, *Juſtus ut palma florebit.* Lunæ curſus Symbolum univerſitatis,Regina Carmeli aſſimilata eſt palmæ, ipſa enim pro omni temporum univerſitate novos ramos,novoſque fructus cœleſtium donorum,ac beneficiorum producit, ac creat. Theatrum vitæ humanæ. Herop. *Regina Carmeli multa profere dona.*

311. Quarto *Statura,tua aſſimilata eſt palmæ.* Palma victoriæ ſignum, quæ maximè per Reginam Carmeli aſſequitur, & obtinetur, Devaſtato, ac deſtructo Amalech per Regem Saul. *Nuntiatum eſt Samueli quod veniſſet Saül in Carmelum,& erexiſſet ſibi fornacem triumphalem.* 1.Reg.15.n.12 Explicat Lyra *arcum triumphalem ex palmis, & olivis*, & dicitur fornax,ait Abulenſis quia in eo deſcripta erat victoria Saülis de Amalech.Tamen maximè inquirendum,cur ad hunc arcum triumphalem erigendum nullus alius mons eligitur,niſi Carmelus qui erat in tribu Aſer, cur non potius alius mons Libanus, vel Thabor? maximè cum Saül eſſet de tribu Benjamin? Ad tantum triumphum magno & alto impulſu præ cæteris deſignat Saül Carmelum, nam eo ſpecialiter demonſtratur, ac fulget Regina Carmeli,& inde præ omnibus aptior erat mons Carmeli ad triumphum;nam ſub umbra hujus ſupremæ Reginæ maximè trophæa,ac victoriæ de inimicis reportantur, & glorioſè triumphatur. 1 Reg.15 Lyran. Abulenſ. *Ubi Regina Carmeli ibi certa victoria.*

312. Ut daretur adoratio vero Deo Creatori Cœli, & terræ & deſtrueretur omnino cultus,qui impio Baal deferebatur convocat Elias totum Iſraël ad Montem Carmeli 3.Reg 18.n. 19.ibi illo admirabili ſacrificio igne de Cœlo adveniente, *Quod cum vidiſſet omnis populus cecidit in faciem ſuam,& ait, Dominus ipſe eſt Deus Dominus ipſe eſt Deus.* Ibidem n.39.Deinde apprehenſis omnibus Sacerdotibus Baal, *Duxit eos ad torrentem Ciſon, & interfecit eos* ibi n.40.Cur Elias ad tantum triumphum de Idololatria,& Baalitis;de Rege Achab, ac Jeſabele non alium eligit locum, niſi Carmelum cur Baalitis non dat optionem, ut eligant locum ſicut eis dedit,ut primi facerent ſacrificium vel cur Elias non eligit alium locum v. g. Thabor? quia ut notat Abulenſis citato cap.18.q.34. erat propè torrentem Ciſon,ubi interficit Prophetas, vel potius cur non eligit Galgata, Bethel, vel Jericho quæ loca Elias frequẽtabat 4.Reg.12.n.4.Cur tantum Carmelum? Divina inſpiratione repletus Elias præ omnibus ad certamen eligit Carmelum quia cum ibi adeſſet Regina Carmeli; certa victoria,indubitabileque magnum trophęum reportaretur. 3.Reg.18. 4.Reg.2. Abulenſ. *Ubi umbra Reginæ Carmeli certa victoria.*

QUÆSTIO. XXIII.

Sub auſpiciis Reginæ Carmeli omnia felicia, & proſpera.

313. CUm Populus maxima premeretur ſterilitate ob negatam pluviam & per tot annos orante Elia: *Ecce nubecula parva aſcendebat de mari.* Seu ut ex Hebræo legitur *vola hominis*, vola autem idem eſt, ac alma manus vel pedis, qua viſa pro certo habuit Elias magnam aquarum abundantiā citò, ac feſtinè exundare, ita ut per puerum mandaret Achab, *Junge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluvia* 3. Reg. 18. n. 34. ideſt concitatis, ac agitatis equis curre, ut explicant Lyranus, & Abulenſis. Quomodo Elias ex tam parvula nubecula veluti *vola hominis* cum Cœlum eſſet ſerenum, aër quietus, nullaque ventorum commotio agitaretur tam feſtinam aquarum exundantiam deprehendit? Aqua totius felicitatis ſignum eſt. *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Pſalm 66. num. 10 In illa nubecula veneratus eſt Sacram Reginam Carmeli, & inde pro certo ſtatuit, quod omnis ſterilitatis preſſura extincta erat, & omnium felicitatum, ac donorum copia reviviſceret citò, & velociter ad majorem doni illuſtrationem.

3 Reg. 18. Lyra. Abulenſ. *Regina Carmeli omnem felicitatem annunciat.* Pſal. 66.

314. Cum Jeremias deſcriberet latè cap. 2 quomodo Deus traduxiſſet populum ſuum de ergaſtulo Ægyptiorum per deſertum & terram inhabitabilem, terramque inviam ſitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non habitavit homo, nec ambularet vir ſubdit num. 7. *Induxi vos in terram Carmeli ut comederetis fructus ejus* Quæ verba explicans D. Hieronymus ait, *Pro duriſſimo labore itineris dedi vobis abundantiam omnium rerum, quam ſignificat Carmelus.* Pro tot, & tantis laboribus ante toleratis in itinere ex Ægypto, volens Deo facere oſtentationem ſuæ multitudinis gratiarum, largamque exhibere recompenſationem tot calamitatum, ac laborum eos introduxit in Carmelum tamquam in omnium felicitatum abundantem copiam, ac ſi in terrenis nil majus eſſet deſiderabile, quia cum ibi peculiariter dominetur Regina Carmeli, ibi ſub ejus umbra omnium fertilis viget pinguedo, amænitas omnium deſiderabilium, ac profluentes cunctarum deliciarū rivuli dimanant.

Jerem. 2. D. Hier. *Ubi adeſt Regina Carmeli omnia abundant.*

315. Cum Eliſæus iter ageret, ut aſcenderet in Bethel, pueri illudebant ei dicentes; Aſcende Calve aſcende Calve, tunc Eliſæus divino furore repletus maledixit eis in nomine Domini; *Egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros abiit autem in Montem Carmeli.* 4 Reg. 2. num. 25. Si Eliſæus dirigebat viam in Bethel, modo poſt pueros occiſos ipſo itinere relicto aſcendit in Carmelum, Menochius, *Indignationem populi propter mortuos pueros declinatus.* Et cur Eliſæus magis exiſtimavit declinare iram populi in Carmelo, quam in Bethel? Carmelum aſcendit tamquam ad tutiora loca. Cum enim ibi regnet Regina Carmeli omnia ſub ejus patrocinio ſunt ſecura ac valde munita ut nulla adverſariorū armata manus poſſit illuc irrumpere

Menoch. *Sub protectione Reginæ Carmeli omnia ſecura.*

316. Cum Rebecca audiſſet Iſaac dicentem filio ſuo primogenito Eſaü, ut pergeret in campum, & afferret ei de venatione ſua, ut comedat, & benedicat ei. Rebecca coxit duos hædos. *Et veſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe domi habebat, induit eum* Geneſ. 27. n. 15. Et Thomas Anglicus, *Veſtes valde bonæ, quæ ope Rebeccæ fuerant contextæ* & perſuadet Jacob ut ſe præſentet patri, ad obtinendam benedictionem Nonne magna matrona, vides in quantum periculum tuum dilectum filium exponis, poteſt Iſaac cognoſcere, quod non ſit filius ſuus Eſaü, & quod ſit Jacob, & inde indignationem patris incurrere, & quod dum Iſaac comedit cibum, ſuperveniat Eſaü, unde multæ diſcordiæ pullulabunt, cur hæc non prævidit? Rebecca, ut jam ſupra dixi gerebat typum Virginis Mariæ, & ut dedit, Jacob veſtem à ſe compoſitam, & intextam ſecurus ibat, quod Iſaac ſentiens illius odorem ſeu fragrantiam, nulla erit maledictio, ſed ſumma omnium rerum benedictio.

Gen. 27. Anglic. *Ubi veſtis Mariæ omnia felicia.*

317. At vero ſi ob peccata, & ſcelera noſtra hujus cœleſtis Reginæ affluens benignitas divertitur, ac deeſt, ibi omnium malorum ſæva tempeſtas fuit ac debacchatur. Maximè deplorat Amos cap 1. n. 2. *Luxerunt ſpecioſa paſtorum exſiccatus eſt vertex Carmeli.* Communiter per verticem Carmeli Reges Iſraël intelligunt Theodoretus, vel alii Jeruſalem civitatem primariam totius Regni Judææ, non incongruè per verticem, & ſupremum Carmeli intellige ſupremam Reginam Carmeli. In Scriptura *exſiccare* denotat negationem divini auxilii, ac adjuvaminis Joël. 1. n. 20 *Exſiccati ſunt fontes aquarum.* Oſeæ 9. n. 16. *Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſiccata eſt.* Per radicem intelligunt D. Hier. & alii divinum auxilium, & adjuvamen, Cornelius, Menochius intelligunt eorum Patres Abraham, Iſaac, & Jacob, qui ob eorum peccata, eos non adjuvabunt ſua prece, ac merito. Si Regina Carmeli non influit ſua prece, ac adjuvamine, *Omnia amœna paſcua paſtorum lugebunt.* Omnia, quæ noſtra ſunt, & quæ ſub paſcuis noſtris paſcebantur exſiccata, & conſumpta ſunt, ſolum enim illius rore omnia germinant, & fœcundantur.

Amos 1. Theod. Joel 1. Oſeæ 9. D. Hier. Cornel. Menoc. *Si non adſit influxus Reginæ Carmeli omnia pereunt.*

QUÆSTIO. XXIV.

Sacrum Scapulare ſignum amoris, fœderis, ac ſalutis.

318. VAlde notum eſt, quod Deus ſuos electos, ac ſervos per aliquod externum ſignū vult notari, ac ſegregari à reprobis, ac damnatis, quod facit Deus ob ſingularem amorem erga ſuos ſervos & ut cuſtoditi ſint ab omni malo, indeque ut ſalutem aſſequātur, ſic in univerſali lege omnium primogenitorum Ægypti mandat Deus, ut filii Iſraël *Sumant de ſanguine agni ac ponant ſuper poſtem in ſuperliminaribus domus* Exod. 11. n. 7. & poſtea ſubdit: *Videbo, & tranſibo*, ſic ne ut dilecti involvantur in communi excidio Jeruſalem, & quod ſint liberandi à cæde Chaldæorum, mandat Deus Ezechieli cap. 9. n. 4. *Tranſi per mediam Civitatem, in medio Jeruſalem ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium.* Illud ſignum *Thau* Crucem denotari communis eſt Patrum ſententia D. Hieron. Tertulian. Origenes. D. Ambroſ. D. Auguſt. ſic & Angelus habens ſignum Dei vivi clamat ad quatuor Angelos, *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quouſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum*, quod ſignū erat Crux ſanctiſſima Apocalypſ. 7. n. 13. tenent D. Chryſoſt D. Cyrillus, Hilarius, & alii, quos citavi tom. 1. in Apocalypſ. c. 7. q. 4. n. 75. & 76.

Deus ſuos electos vult agnoſci ſignis. Exod. 11. Ezech. 9. D. Hier. Tertull. Origen. D. Ambr. D. Aug. D. Chryſoſt D. Cyril. Hilar. Apoc. 7.

QUÆSTIO XXV.

Sacrum Scapulare ſignum amoris Virginis Mariæ.

319. APparet Sacratiſſima Virgo Maria magno Angelorum comitatu Sancto Simoni afferens in manibus ſacrum Scapulare, illudque ſuis manibus dat Sancto Viro, Deus ſignans ſuos electos hoc fecit per ſuos miniſtros, ut ipſi homines ponant ſanguinem ſuper utrumque poſtem in Ægypto, Ezechiel in Jeruſalem, & Angeli ſignacula ponant per totum Orbem; at Sacratiſſima Virgo dum Carmelitis dat ſignum licet multi adſint Angeli, non Angeli deferunt, & dant Scapulare, ſed Sacratiſſima Virgo ſuis aſportat manibus, ſuiſque manibus in humeris ſervi ſui impoſuit pro eximio ſuo amore ipſa totum præſtat.

Virgo ſuis manibus dat veſtem.

320. Sic dicitur de Anna Samuelis matre, 1. Reg. 1. n. 19. *Et tunicam parvam faciebat ei mater ſua quam afferebat ſtatutis diebus*, in quibus acredebat ad templum, *Faciebat*, alia litera habet intexerat. Ibi Mendoza exiſtimat quod pro eximio amore erga filium ipſa propriis manibus tunicam faciebat, & ipſa eam aſportabat, ſic & Sanctiſſima Virgo fecit tunicam inconſutilem Chriſto ut ex communi Patrum traditione tenet Euthymius, Joan. 19. n. 23. & ibi multa dixi ad hujus rei aliqualem umbram, ac veſtigium, ſuis dilectis filiis adoptivis dat veſtem, quam faciebat.

1. Reg. 1. Mendoza. *Præ amore fecit tunicam, & fert.*

321. Poſt peccatum primorum Parentum ait Textus, *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*, Geneſ. 3. n. 2. Maximè notandum, quod primis parentibus peccatoribus faciat Deus veſtes, non vero ſummo Sacerdoti, qui ad magna, & alta myſteria diſponebatur, ſed eam mandat fieri per miniſtros, ait Deus Moyſi, *Facies veſtem Sanctam Aaroni fratri tuo*, Exod. 28. n. 2. & latè inde procedit; Summus Sacedos tanta ſua dignitate certo ſe cognoſcebat in Dei gratia, & benignitate, at primi Parentes videbant ſe peccatores, multiſque miſeriis repletos, & è Paradiſo ejectos indeque ſe ſuſpicabantur ejectos à Dei benignitate, ac favore, & omni pœna repletos, ut ergo benignius eos Deus conſolaretur, eoſque animaret, & certos faceret de ſua providentia erga eos, eis dat veſtimenta, eoſq; induit, quo nullum majus poterat eſſe benevolentiæ, ac amoris ſignum. Caiet. *Vide divinam benignitatem erga primos parentes (quamvis inobedientes ei) quod nec inter puniendum omittit providere ſingulariſſima cura, ut qui ſe ipſos reddiderant indigentes veſte, nec habeant unde ſe veſtirent, habeant veſtes divinitus factas.* Sic Sanctiſſ. Virgo nos miſeros voluit habere veſtes divinitus factas.

Gen. 3. Exod. 28. *Benevolentia perſeverans.* Cajetan.

Signum fœderis.

322. Vè perpetua, ac conſtanti perſeverantia Religionis ſub protectione Beatiſſimæ Virginis Mariæ uſque ad finem ſæculi, ut ipſa revelavit S. Petro Thomæ ut ſæpè dictum eſt, & jam antea hoc manifeſtavit D. Cyrillo Conſtantinopolit. quod Religio ob Turcarum perſecutionem à Syria, & Palæſtina diſcederet, ut ad Occidentales plagas tranſiret, & quod maximè ibi Religio erat amplianda, & dilatanda. Hoc etiam ipſa Virgo revelavit prædicto Priori Generali, ut altercaretur inter fratres, an ob adverſarios Mauros eſſet tranſeundum in Europā, quod non contradiceret, ibi enim ipſa futura erat adjutrix, & propitia, & hoc apertè corroboratur ex magnis mirabilibus exhibitis ab ipſa Virgine cum Summis Pontificibus Honorio III. Innocentio IV. Joanne XXII. ut retuli ſupra q. 20. & ibi etiam retuli alias tempeſtates contradictionum contra Religionem exortas à multis Principibus, Prælatis, ac Ducibus, quas omnes Sacratiſſima Virgo deſtruxit, ac diſſipavit. Unde hic venit illud dicendum, *Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt, quia ego tecum ſum, ut liberem te.* Jerem.

Virgo ſemper patrona defendens Carmelitas. Jerem. 1.

323. Et ideo in ſignum tantæ protectionis, ac auxilii tamquam memoriale perenne dat nobis ipſa Virgo ſuæ providentiæ, ac amoris erga nos memoriale. Mandat Deus filiis Iſraël, ut ponant ſanguinem Agni ſuper utrumque poſtem in ſuperliminaribus, Quia, *Tranſit Dominus percutiens Ægyptum, cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari in utroque poſte, non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere*, Exod. 12. n. 23. ſic & Deus ait Noë, *Arcum meum ponam in nubibus, & recordabor fœderis mei*, Geneſ. 9. n. 14. Nunquid Deo ſunt iſta neceſſaria, ut recordetur, & videat, cui omnia ſunt præſentiſſima; hæc autem omnia facta ſunt non propter Deum, ſed propter nos, ut nobis tamquam memoriale perenne, ac ſignum perpetuum ante oculos, ejus eximiæ providentiæ, curæ, & amoris erga nos, ut tantorum beneficiorum memores illa veneremur. Theodoret ad citatum locum Exodi, *Notandum quod Deus juſſerit poſtes ſanguine tingi, ut cum exterminator tranſierit, ut Ægyptiorum primogenita perderet, ſanguinem ſuper poſtes Hebræorum aſpiciens, domos illæſas ſervaret, non quia his natura illa corporis expers indigeret, ſed ut illi hoc ſigno docerentur, quanta erga illos eſſet Dei cura, ac providentia.* Nota ultima verba.

Exod. 12. Gen. 9. *Memoriale beneficiorum Dei.* Theod.

Signum ſalutis.

324. Hoc apertè oſtenditur per innumera miracula, quæ auxiliante Sanctiſſ. Virgine Maria facta ſunt quæ per omnes caſus facile diſcurri poſſunt, tam in aqua, igne, ruina ædificiorum, ſcopulorum trajectu, à gladiis, lanceis, furia, feris, ac beſtiis indomitis, morbis inſanabilibus, ac etiam à morte quod referunt Tilocalus Caputus *in lib. Monte-Carmelo* Cyprianus à Sancta Maria *in Theſauro Carmelitar.* Leo à S. Joanne *in lib. Gallico*, & aliqua attigit Theophyl. Raynaud. *tom. 7. tractat. de ſacro Scapulari cap. 7.* Lezana Maria Patrona *cap. 5. n. 16. & cap. 9. n. 4. & 5.* & deinceps Daniel à Virgine Maria Vinea Carmeli *n. 616. 617. & 840. & 605. 606.* de quibus nos aliqua diximus ſupra q. 20.

Innumera miracula per Scapulare. Tilocal. Cypr. Leo à S. Joanne. Rayn. Lezana. Vinea Carm.

325. Dicitur Cantic. 7. n. 5. *Caput tuum, ut Carmelus*, & ſtatim ſubjungitur, *Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis.* Ultima verba vertit Vatablus, *In deliciis primatum obtinens*, & quænam ſunt hæ deliciæ, in quibus primatum obtinet? Explicat Philo, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, Proverb 8. num. 31. Et quomodo cum eis habet ſuas delicias *Pulchra & decora.* Exponit Honorius *Pulchra*, in operibus externis tot, & tantorum miraculorum, ac mirabilium, quibus eos adjuvat, patrocinatur ac defendit. *Decora* in internis, dum ſuis orationibus, ac precibus pro eis exorat, & rogat apud ſuum ſacratiſſimum Filium, *Caput tuum ut Carmelus.* Regina Carmeli primatum tenet eſſe cum filiis ſuis adoptivis, & devotis Carmelitis, pulchra in tantis mirabilibus, quæ pro eis operatur, & Decora in perpetua, & continua oratione, ut de ſua benignitate confidimus. Vide ſupra. q. 16. n. 167. & q. 22. & 23. per totam, tom. 3. 4. & 6. in Evangel primo, & 2. in Apocalipſ. verbo Carmeli, ubi multa.

Cant. 4. Vatabl. Prov. 8. Honor. *Regina Carmeli patrocinatur in externis & internis.*